

si gratia sacro baptismate conferri non posset. Potest igitur illis baptismi gratia communicari.

Egregie profecto atque subtiliter! Velim tamen festum argutorem paulisper sui suorumque diadema esse memorem, ne suo se gladio jugularet. Concedit enim ille ultro citroque, puerum materno Utero conclusum, prioribus saltem graviditatis mensibus, baptizari non posse; Utpote cum nondum tunc uteri os incipiat aperiri, ut vel obstetricis manus immitti, vel Clisteridium induci queat. At nonne quæto, prioribus illis graviditatis mensibus, dum fetus est animatus, originis vitio infectus est? Illi ergo jam nocet Adæ peccatum, cui tamen, ipso fatente, Christi gratia conferri non potest. Suo se itaque gladio petit ineptissimus Cavillator.

Quod itaque in objecta argutia principii loco ponitur, nempe plus Christi D. Redemptionem hominibus profuisse, quam nocuerit Adæ peccatum, tribus modis exponi potest. Primo: ut plus profuerit intensive, ut Schola loquitur, non extensive; hoc est, majoris esse efficacis Christi gratiæ beneficium, quam peccati Adamici nocuum, tamen non ad omnes extendatur beneficium, ad quos protenditur nocuum: *Non omnes enim Christi mortis beneficium accipiunt.* Verba sunt Concilii Tridentini *sess. 6. de Justis.* Nemini itaque mirum videri debet, si Pueris Utero matrum inclusis nocuit Adæ peccatum; quibus gratia baptismatis prodesse non potest. Uti profectio non prodest aliis tam multis in lucem editis, qui fatali aliquo casu sacro baptismate non donantur; de quibus Augustinus ait, *aliquando festinantibus ac currentibus parentibus, Ministris quoque paratis, ut baptismus parvulo datur, Deo tamen nolente non datur, qui cum in vita non tenet, ut datur.*

Secundo. Si quis Christi gratiam plus etiam extensive profuisse velit, quam Adæ peccatum; dicendum plus profuisse, quatenus Christi gratia in Angelos etiam effusa est, in quibus locum non habuit Originale peccatum; in Angelos, inquam, effusa est, non ad consecutionem gloriæ essentialis, sed accidentalis: quo sensu de Christo D. ab Apostolo dictum est ad *Coloss. 4. Pacificavit per Sanguinem crucis sue sive que in terris, sive que in Cælis sunt.* Et Joann. 1. de plenitudine ejus omnes accepimus: quod non de hominibus tantum, sed de Angelis dictum monet D. Thomas, in suo ad locum illum Commentario.

Tertio. Si quovis tandem modo major Christi gratia censeatur, tam intensive quam extensive, quam Originale peccatum; non illico consequens erit, posse eam pueris in Utero Matrum inclusis communicari, beneficio sacri baptismatis; sed a Deo solo sine beneficio Sacramenti, uti profecto Jeremiæ, & Joanni Baptiste, sine ullo Sacramento collata fuit; mole itaque sua ruit momentum illud, quo sibi Cæli convexa tetigisse digito videbantur.

Paris futilitatis est Novatorum istorum momentum alterum, ex generali salutis omnium hominum voluntate petitur, quam Deo inesse Catholica Fides docet; quasi vero colligi inde possit, pueris in Utero Matrum inclusis salutis adipiscendæ remedium præsto esse. Quæserim enim ego, velit ne Deus puerorum istorum salutem, quibus saltem primis Maternæ graviditatis Mensibus baptismata ministrari non posse concedunt? Si dixerint velle Deum salutem istorum; tunc qua ratione hanc Dei voluntatem, cum suscipiendi baptismatis impotentia conciliant novatores; eadem & ego facilitate, in quibuscumque parvulis, Uteris Matrum inclusis conciliabo. Si dixerint, nolle Deum puerorum istorum salutem, respondent & ego, nolle Deum salutem istorum;

quæ sane nonnullorum Theologorum, ac præsertim Gabrielis Vasquezii Sententia fuit: nec enim istorum, quam istorum dispar est ratio, si perinde baptizari nequeunt.

Neque tamen ulla est difficultas, in concilianda generali illa Dei salutis omnium hominum voluntate cum ea suscipiendi baptismatis impotentia, qua pueri illi laborant, quamdiam in Matrum uteris recluduntur.

Ut enim salutem puerorum istorum velle dicatur Deus, satis est, si & ipsis salutis adipiscendæ remedium destinaverit, præparaverit; is enim voluntatis antecedentis effectus est; tamen si secretiori voluntatis consequentis Consilio paratum destinatumque remedium denegetur ab eo, qui pueros illos extra Uterum prodire non sinat; Qua parte nulla est repugnantia, contradictio nulla: uti nec ulla repugnantia est, si quem Princeps aut Judex generali voluntate vult vivere, ut est Republicæ membrum, eundem suspendi jubeat, ut scelestus homo est, ac Republicæ noxius; nova scilicet spectata ratione. Qua de re plura diximus ex hoc loco, dum de voluntate Dei antecedente ex instituto ageremus, ad triam illam, vulgatamque difficultatem elidendam.

In hunc plane sensum intelligendum venit Innocentii III. rescriptum Arelantensi Archiepiscopo datum, *Cap. Majores, de baptismo.* Absit ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur: quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod medium procuraverit ad salutem. Procuratum quippe salutis remedium intelligit Innocentius Sacri baptismatis institutionem pro parvulis justificandis, quemadmodum & pro adultis generaliter factam. Quæ tamen generalis institutio baptismatis non efficit, ut & iis quoque re ipsa conferri possit, qui in Uteris Matrum inclusi, Ministrorum operationi subesse non possunt, ut loquitur Doctor Angelicus in 4. dist. 6. quest. 1. art. 1. Nec Ecclesiæ innotescere, & ad illius forum pertinere valent, ut scribit Seraphicus Doctor, in eadem Magistri distinctionem. Ita enim Christus Dominus sua pro universis hominibus Sacramenta instituit, ut ea tamen certis in circumstantiis conferri velit; extra quas & illicita, & plerumque etiam impossibilia est istorum administratio.

Affert jam, & contra Novatorum argutationes vindicato doctrina capite, restat ut nonnihil de allata toties ratione dicamus, qua nimirum pueros in Utero baptizari non posse demonstravimus; quia renasci ac regenerari repugnat aliquem, antequam generetur atque nascatur. Ea quippe ratio, ab Augustino licet allata, cæterisque Theologis universis, nutare videtur, imo rueret; propter Jeremiam, & Joannem Baptistam, qui singulari Dei privilegio, in Uteris matrum sanctificati creduntur; atque adeo renati sunt, antequam nati, regenerati antequam geniti. Eorum quippe Sanctificatio regeneratio quadam fuit: Aut certe conceptio, quæ istorum Sanctificationem præcessit, generatio nativitasque in Utero reputatur, ut regenerari ac renasci per gratiam in Utero poterint, antequam ex Utero nascerentur. Ruit itaque (inquit) ratio toties a nobis adducta, non posse renasci aliquem, antequam nascatur ex Utero.

Eo ut sese nodo exolvant Veteres aliqui, Jeremiam & Joannem Baptistam sanctificatos in Matrum Uteris disitentur, ne illos renatos agnoscant, antequam natos. Quapropter quod de Jeremia legitur *Capite 1. libri ipsius, antequam exires de utero sanctificavi te*, non de Sanctificatione proprie dicta, quæ gratiam justificantem &

peccati remissionem importet, interpretantur; sed de Sanctificatione impropria, quæ juxta Scripturarum usum, dedicationem duntaxat, & consecrationem importat: quo sensu *Exodi 13.* ait Deus, *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvum, tam de hominibus, quam de jumentis:* hoc est, dedica mihi, consecra mihi: nec enim jumenta, gratia sanctificante atque justificante donari possunt. Non absumitur quod de Joanne Baptista legitur *Luce 1. Spiritu S. replebitur ab eo ex Utero Matris sue:* De Spiritu prophético dictum volunt, quo repletus in Utero Elisabethæ, Christum Utero adhuc virgineo gestatum agnovit, ac præ gaudio exultavit. Verum repugnant cæteri perique Patres, maxime vero Athanasius, Cyrilianus, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Bernardus, qui Joannem saltem, vera in Utero sanctitate atque justitiam donatum, agnoscent. Sed etsi ea uterinæ Sanctificationis exempla non essent, quis Virginem Deiparam verat in dubium? quam sanctificatam in Utero, certo tenet Ecclesiæ, seu eam Sanctificationem in ipsa sui conceptione sortita sit, seu post conceptionem juxta varias Theologorum opiniones. Stat ergo integra difficultas, renasci posse aliquos, nondum licet ex Utero natos, ipsa scilicet conceptione, pro nativitate computata.

Eo itaque misso responso, repono ego, stare plane inconcussa D. Augustini principium, quo & nos pro asserenda veritate usi sumus; repugnare scilicet, renasci aliquem atque regenerari, antequam generetur atque nascatur ex Utero; Stare inquam principium; ubi agitur de regeneratione, humano more, Ecclesiastico ministerio, per baptismatis collationem procuranda, de qua nobis quaestio est; Et si fortasse nutet principium, ubi de regeneratione miraculosa sermo esset a Deo solo, sine Ecclesiastico Ministerio, ac sine Sacramento scienda, ut in Virgine Deipara, in Jeremia, in Joanne Baptista videre sinit. Ingens enim discriminis ratio est. Puer siquidem ex quo primum materno in Utero conceptus est, Deo est notus, ad illius pertinet forum, divinæque operationi subest, adeoque potest ab eo & sanctificari & regenerari: quæque in illo conceptio præcedit, utpote oculis Dei nota, pro nativitate computatur; atque ita non renascitur, nisi jam natus in oculis Dei. At non perinde puer conceptus in Utero, Ecclesiæ Ministris est notus, non perinde ad istorum pertinet forum, non perinde istorum operationi subest, adeoque non perinde ab iis sanctificari ac regenerari potest; quæque in illo conceptio præcedit; Ecclesiæ oculis nondum nota, pro nativitate moraliter loquendo computari non potest. Atque ita, si sacro baptismate tingeretur, (quod tamen fieri omnino non posse, plus satis ostendimus) renascetur, Ecclesiæ oculis nondum natus: quod merito diximus repugnare. Stat igitur inconcussa D. Augustini ratio toties a nobis adducta, qua tamen si forte rueret, non illico nutaret principalis assertio nostra tot aliis inconcussis principiis ac fundamentis innixa.

PRÆLECTIO XIV.

Quænam & qualis Baptismi necessitas sit, præceptum duntaxat, an etiam mediis, proponitur, explicatur.

Baptismi necessitatem, de qua mihi est in præsentia differendum, nemo, quod sciam, vertit in dubium, qui Evangelio fidem adjuvavit. Usque adeo enim aperta est Christi Sententia *Joan. 3.* ut inficiari nemo possit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intrabit in regnum Cælorum.*

Quin imo ipsi etiam Pelagiani, quamquam originale peccatum inficiarentur, Christi tamen Sententiam reveriti, baptismata necessarium fatebantur, sin minus, ut originis vitium tollerent, at certe, ut Regni Cælorum januam aperirent. Verum illud maxime vocatur in controversiam, quænam & qualis baptismi necessitas sit, præcepti ne duntaxat, an etiam mediis? Seu ut clarius dicam, sit ne necessarium baptismata, quia præcipitur, an potius ideo præcipiatur, quia se ipso necessarium est; tamquam unicum, in Evangelica lege, Originalis peccati delendi remedium, unicum æternæ salutis adipiscendæ subsidium; tum in pueris, tum in adultis. Quæ in re enormiter Calvinus erravit.

Et quidem Calvinus *lib. 4. Instit. Cap. 16.* & in *Antidoto contra Concilium Tridentinum ad Cap. 5. Sess. 6.* fidelium, & iustorum filios baptismate non egere docet, tamquam unico salutis adipiscendæ medio; imo illos sine baptismate, natalium veluti jure salvari posse contendit; & si ita sine baptismato moriantur, re ipsa salvari tum quod peccatum Originale ex parentibus iustis minime contrahant: tum quod si forte illud contrahant, iis tamen nequaquam imputetur, ob excellentiam Parentum merita. In quo quidem errore confutandum nostram hodie diligentiam exercerebimus; probabimusque, nullam in parentum iustorum filiis hæreditariam ab ortu sanctitatem atque justitiam dari: quæ baptismum ipsis minime necessarium faciat in remissionem peccatorum. Eo in opere non est nobis admodum defudandum: Patet enim Calvinus error ipse per sese. Primo quidem ex universalitate peccati originalis in omnes homines transfusi, a quo tamen iustorum filios Calvinus facit immunes; *Rom. 5.* *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* 2. *Cor. 5.* *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Nulla illic puerorum exceptio legitur, qui ex parentibus fidelibus ac iustis prognati sunt, quasi si jure natalium Sancti nascantur. Secundo: Patet error idem, ex generalitate legis a Christo D. late *Joan. 3.* *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intrabit in regnum Cælorum.* Quotquot ergo Sacramenti regenerationis exortes sunt pueri, qualescumque illi sint, certo damnantur. Tertio: Exemplo istorum qui parentibus licet iustissimis nati fuissent, se ipsos tamen cum originali peccato natos, ultro citroque fatebantur; Sic David, viri Sanctissimi Jesse filius *Psal. 50.* de se ait: *Eccc enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Esau filius Isaaci perinde Sanctissimi, a Deo odio habitus dicitur, antequam nasceretur *Rom. 9.* antequam quidquam mali egisset. Quid vero in illo Deus odio tunc habuisset, nisi originis vitium? Apostolus etiam ad *Ephes. 2.* de Judæis univerſim ait, *Erant natura filii iræ, sicut & ceteri; Natura, inquam, hoc est, ab ipsa nativitate, ac jure natalium, Si autem filii iræ, itaque filii vindictæ, filii pæne, filii gehennæ, colligit Augustinus *tract. 44.* in Joannem. Tales itaque sunt fidelium iustorumque filii, nisi sacro baptismate regenerentur in Christo. Iis momenti nixa Synodus Trid. *Sess. 5. Can. 4.* Illis anathema dixit, qui dicerent filios ex regeneratis parentibus ortos, non esse baptizandos in remissionem peccati. Quomodo autem fieri possit ut parentes fideles, ac iusti, originale peccatum, quo jam ipsimet mundati sunt, transfundant in filios, eleganter pro more suo explicat Augustinus *lib. 2. de peccat. merit. Cap. 27.* *Quia, inquit, sacro baptismate renovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis veteritatis carnaliter**

iter genuit. Idcirco de baptizato non iustus nascitur, sed iniustus, quia cum non generat pater, unde ipsemet regeneratus est, sed unde genitus est. Seu ut loquitur D. Thomas Augustini dignus interpretes 1. 2. q. 81. a. 3. ad 3. Peccatum Originale per baptismum auferitur reatu, in quantum Anima recuperat gratiam, quantum ad mentem; remanet tamen peccatum originale actu, quantum ad somnium, qui est inordinatio partium inferiorum anime & ipsius corporis. Et ideo baptizati traduntur in filios originale peccatum, quia non generant mentem, secundum quam renati sunt, sed carne, secundum quam retinent aliquid de vetustate peccati Originalis.

Hæc si novisset Calvinus, ac serio perpenderit, nunquam suum illud Systema per absurdum evulgasset, de fidelium iustorumque parentum filius, iure ipso natalium iustus, ac sanctus, quibus idcirco baptisma delendi Originalis peccati, & salutis adipiscendæ medium necessarium non sit.

Novæ reformationis architectum in eo errore procedendo, delusit Apostoli locus perperam intellectus, 1. Cor. 7. ubi filios fidelium Sanctos appellat qui aliquin, immundi conferentur: Sanctificatus est enim, inquit, vir infidelis per Mulierem fidelem. Sanctificata est Mulier infidelis, per virum fidelem: Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt. Quid hoc rogo vos filii fidelium Sancti sunt? Apostoli institutum observare fat est, ut obscure periodi sensus retegatur. Scilicet cum gentiliis bene multi Matrimonio iuncti, Christianæ tunc fidelis, ac religioni nomen darent, relicti in errore conjugibus; quæritum fuerat ab Apostolo, liceret ne tunc conjugum alterutri ad fidem converso, cum altero in infidelitate relicto, cohabitare? Respondit Apostolus, licere prorsus, ac etiam bonum esse, modo tamen qui in infidelitate relictus erat, cohabitare cum altera vellet, absque injuria Creatoris. Idque duplici de causa. Primo: quia spes est, ac etiam sæpe contingit, ut ex ea mutua consuetudine atque convictu, infidelis traducatur ad fidem: Secundo: quia spes est, ac etiam sæpe contingit, ut filius ex illo Matrimonio natus, Religiosa educatione detur; & baptismus a parente fidei procuretur, eoque pacto sancti ac iusti fiant, qui alias infideles & immundi perirent. Ea quid sibi laudata Apostoli verba velint: Sanctificatus est vir infidelis &c. Nunc autem Sancti sunt: id est, cura, educatione parentum ad fidem converterorum, maxime vero baptismatis procuracione sunt sancti, non iure natalium. Quemadmodum ergo priora illa Apostoli verba, Sanctificatus est vir infidelis, per mulierem fidelem, nemo sic intelligit, ut virum eo solo titulo Sanctum putet, quod mulierem fidelem habeat: ita postrema illa, filii vestri Sancti sunt, nemo sic debet intelligere, ut filios eo solo titulo Sanctos existimet, quod a parentibus fidelibus prognati sint: sed uti ex convictu cum fidei conjugis speratur sanctitas viri; ita ex educatione & cura parentum fidelium, speratur Sanctitas filiorum.

Alterum minus moror Genesis locum, quo perinde delusus est pseudo Reformatore, ad baptismatis necessitatem in iustorum filiis negandam & oppugnandam, locum inquam Genesis 17. Ubi Deus pactum cum Abrahamo pepigit hæc verbis. Ego Deus tuus & seminis tui. Promisit scilicet, se non modo Abrahami, sed & semini ipsius fore Deum: Unde consequens esse voluit Calvinus, injuriam divinæ huic promissioni fieri, nisi hæc ad salutem sine baptismo sola sufficiat Abrahami filius, seu filius iustorum atque fidelium, qui omnes Abrahami filii censentur.

Quis horrendam consecutionem non videat, non execretur? Secundum quam non modo baptisum, sed & ipsius divinæ gratiæ, virtutumque omnium necessitas expolitur, si sola Dei promissio Abrahami filius est satis. Videndum igitur quid re ipsa Abrahami, ejusque semini promiserit Deus, dum eum ita est allocutus, Ego Deus tuus & seminis tui.

Certe Dei pactum cum Abrahamo initum, quo se & ipsius, & seminis eius Deum fore adpromisit, vel litterali sensu Calvinus accipit, vel spirituali. Si litterali, nihil est quod præfens institutum nostrum ulla ratione contingat. Deus enim nec gratiam super naturalem, nec æternam felicitatem Abrahami filius adpromisit; sed peculiaris protectionem, gubernationem, tutelam, felicitatem temporalem. Si spirituali sensu accipi mavult, felicitatem quidem æternam Abrahami filius adpromisit: at filiis, non carnali, sed spirituali generatione editis; filiis non ex femore, sed ex fide; Non enim, ut inquit Apostolus ad Galatas 3. qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahami. Quale profecto incipiunt esse pueri, dum credunt, adeoque dum Sacro baptismate initiantur: Credere enim in infantibus est baptizari, non credere, non baptizari, ut loquitur D. Augustinus lib. 1. de peccat. meritis Cap. 27. Tantum igitur abest, ut ex facta Abrahami promissione colligi queat, non esse pueros fidelium filios baptizandos, ut salutem æternam consequi possint; ut ob id potius debeant baptizari; Cum solo suscepto baptismate, & fidelis, & veri Abrahami filii secundum Spiritum fieri queant.

Paris facilitatis est, quod in sui præsidium erroris Calvinus obtrudit ex Apostolo ad Rom. 11. Quod si delibatio sancta est, & massa, & si radix sancta, & rami: quasi dicat filios ex Sanctis parentibus ortos, veluti ramos e radice sancta surgentes, natalium iure Sanctos esse, quibus idcirco necessarium omnino non sit baptismatis Sacramentum. Momenti hujusce facilitas in ipsos incurrit oculos: nec enim de Christianis atque fidelibus agit Apostolus eo loci, sed de Judæis, qui tanquam rami e radice Sancta, seu ex gente Deo devota atque dilecta prodierunt. Equis vero ita desipiat ut hinc colligere audeat, Judæos omnes iure natalium Sanctos fuisse, qui ex Patriarchis SS. prodierunt? cum & de se ipso, & de universis Judæis, idem Apostolus dicat, ad Ephes. 2. Erant & nos natura filii ire, sicut & ceteri? Certe nec Calvinus quidem id velit, qui hæreditariam illam Sanctitatem, atque iustitiam, pueros duntaxat, & regeneratis iustique parentibus nascentium, privilegium esse contendit.

Quid ergo, inquit, ea comparatione, sibi vult Apostolus: Si radix Sancta & rami Sancti? Istud unum; nempe ostendit, Judæos potiori quadam ratione Evangelicæ gratiæ participes fieri debuisse, quam Gentiles; eo quod parentes eorum Sancti fuerint, & divinas promissiones acceperint. Quia cum per educationem, & institutionem evenire soleat, ut posteri eandem cum suis majoribus religionem colant & pietatem; Consentaneum videbatur, ut Judæi e Sanctis parentibus orti, eorum sanctitatem æmularentur, qua Evangelicæ gratiæ percipiendæ aptiores fierent atque paratiores; non quod sanctitatem stricto natalium iure perciperent, adeo ut sancti re ipsa posteri nascerentur. Quamquam longe aliter Judæis eveniret, quam evenire congruum videbatur. Quia eorum multi, tanquam rami inutiles, ab arbore, cui naturaliter adhererant, propria sua iniquitate præcisi, a majorum Sanctitate ac religione desecrerunt. Uno verbo, Sanctos ramos dixit A-

postolus, ex radice Sancta, Sanctos, inquam, dispositione, aptitudine propensionis, non actuali Sanctitate, ortu ipso quæsitæ ac reportatæ.

Quid ni etiam, si locum illum Apostoli, ad filios fidelium regeneratorum, trahere lubet, cum Augustino dicamus Epist. 106. ad Sixtum, fidelium filios Sanctos esse, non propagatione carnali, sed communione Sacramenti, & similitudine fidei: quatenus prognati ex parentibus fidelibus atque iustis, eodem ac illi baptismate initiantur, eandem ac illi fidem in Ecclesia Catholica profitentur.

In eundem ferme sensum intelligenda veniunt nonnulla Scripturarum Oracula, quibus homines nonnulli ab ortu ipso, atque ab ipsa natura, homini iustique dicuntur. Ut Sapient. 8. Salomon de se ipso loquens, Spiritus sum, inquit, Animam bonam: Ecclesiastici primo: Timor Domini cum fidelibus in cuba consecratus est. Job. 31. Ab infantia mea crevit mecum miseratio; & de Utero Matris egressa est mecum. Id scilicet sibi volunt unum Oracula illa; habere nonnullos ab ortu ipso dispositionem quandam, & propensionem, ad certa quædam virtutum officia; habereque nonnullos ab ortu animam bonam, bonitate indolis, non bonitate moris & gratiæ iustificantis: Virtutes enim dantur a Deo, cui dicimus, Domine Deus virtutum converte nos; non trahuntur origine.

Difficultatem parere videtur aliquam, quod Isaac secundum Spiritum natus dicatur ad Galatas 4. ad distinctionem Ismaelis, qui secundum carnem genitus dicitur: Qui secundum carnem natus fuerat, persequatur eum, qui secundum Spiritum. Unde consequens esse voluit Calvinus, electos omnes, Divinæ promissionis filios, eo Isaaci typo præsignatos secundum Spiritum nasci, hoc est, iustos, ac sanctos, quod idcirco in remissionem peccatorum baptizari, necesse non sit. At si sic est, inquit ego, non itaque Naralium iure sanctitatem illam atque iustitiam, electi filii fortiantur, quod ex parentibus iustis ac sanctis originem trahant, uti Calvinus visum est: Cum Ismael secundum carnem natus, eodem parente Abrahamo sit genitus, ac Isaac, qui secundum spiritum natus dicitur: Isaac igitur, loco dato ad Galatas 4. secundum Spiritum natus, dicitur ab Apostolo, hoc est, per miraculum, & supra naturalem carnis virtutem, quia ex matre sterili, & nonagenaria in lucem editus est: Cum contra Ismael, secundum carnem hoc est, vegeta utriusque parentis carnali virtute prognatus esset. Quare perperam ad præfens institutum detorqueatur Apostoli dictum, cum quo nihil plane commune habet.

At ecce dum Calvinum Ecclesiæ Romanæ professum hostem imperitum, absolutam baptismatis necessitatem (hæreditariæ sanctitatis obtentu) in plerisque pueris abegantem; in arenam contra nos descendit Emin. Cajetanus, Ecclesiæ R. Princeps purpuratus, hanc ipsam baptismi necessitatem, alio excogitato commento, prorsus everrens, zelo ut quidem arbitror longe optimo, ac cum hona purpure venia dixerim, minus cauto, atque prudenti. Ea quippe summo viro stetit opinio, tantum non esse pueris de vita periclitantibus baptismi necessitatem, quin illis, alio contra peccatum originale adhibito remedio, succurri possit; Nempe fide ac pietate parentum, Deo periclitantem puerum offerentium, sacro quodam signo ad arbitrium adhibito, cum SS. Trinitatis invocatione. Quo vel uno, puerum aqua Salutari minime tinctum, ab Originali peccato mundari, & æterna felicitate donari contendit, si non adit Baptismatis opportunitas.

Hujus porro figmenti confutationem, autpote quæ nostram omnem industriam desiderat, ac laborem, in sequentem sectionem mittimus, Deo dante perficiendum.

PRÆLECTIO XV.

Cardinalis Cajetani commentum de puerorum, seu in matris Utero, seu extra Uterum de vita periclitantium, baptismo, refertur, & confutatur.

Portentofum Cardin. Cajetani commentum, in cuius confutatione nostra hodie desudabit industria, eo potissimum capite continetur, quod putet, puerum, seu in matris utero, seu extra Uterum, de vita periclitantem (ubi non adit suscipiendi baptismatis opportunitas,) perinde sine sacro baptismate, ab originali peccato mundari, & æterna felicitate donari posse, alio nimirum remedio opportuno adhibito. Quomam illo? Fide, inquit ille, & pietate parentum, Deo periclitantem puerum offerentium, sacro quodam signo ad arbitrium adhibito, cum SS. Trinitatis invocatione. Sic certe Cajetanus novum adversus peccatum originale commentus est Sacramentum, in locum baptismatis, dum inflat necessitas, subrogandum.

Quam infeliciter ea purpurato Theologo cessarit alea, inde vel maxime patet, quod ea ejus assertio ad examen vocata, sess. 7. Concilii Tridentini, unum Seripandum Augustinienfium Ordinis Præpositum Generalem defensorum invenierit, ceteris omnibus in damnationis sententiam conspirantibus; a qua tamen ferenda abluere Tridentini Patres; propterea quod ad Lutheranos & Calvinianos errores; ea Cajetani opinio minime pertineret, ut scribit Card. Pallavicinus lib. 9. Histor. cap. 8. Securis tamen temporibus eadem illa Theologi purpurati sententia, ex ejusdem in D. Thomam Commentariis expuncta est, iussu SS. Pontificis Pii V. ad articulum 2. & 11. q. 68. 3. p. Quamquam tamen Pontificiam censuram nihil morati, Thomas Campanella, & Joannes Caramuel eandem subinde sententiam novis conatibus instaurarint. At ut sunt illi portentofarum opinionum Magistri, adeo non est id Cajetano perhonorificum, ut dedecori cedat potius & ignominie, non alios illum præter Caramuelem & Campanellam, sequaces, & adspulsores habuisse. Ceteri quippe Theologi omnes sententiam hanc temerariam, & errori proximam dicunt: nonnulli etiam hæreticam vocant, uti Dominicus Soto; nec injuria:

Primo; Quia universa Patrum traditio, Christi D. verba Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. Sic semper intellexit, ut ne pueros quidem voluerit excipere, quos tamen urgente necessitate excipit Cajetanus. Sic D. Ambrosius lib. 2. de Abraham Patriarcha cap. ult. Utrique nullum excipit Christus, non infantem, non aliqua præventum necessitate. Sic Augustinus lib. 3. de anima cap. 9. Noli credere, noli dicere infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad indulgentiam peccatorum, si vis esse Christianus. Et Epist. 28. Quicumque dixerit in Christo vivificari posse parvulus sine ejus participatione, id est si sine baptismo, de hac vita exeat, hic & contra Apostolorum prædicationem loquitur, & totam condemnat Ecclesiam.

Secundo; Quia ubi constat de Lege aliqua generali frustra obredidit privilegium, nisi probeat; alias quamcumque legem eludere facile esset. At quod obredidit puerorum periclitantium privilegium, ut sine baptismate, sola parentum fi-

de, votoque salventur, nec ex sacris Litteris, nec ex Traditione probatur; Cum illud primus omnium expresse atque distincte somnauerit Cajetanus: frustra igitur privilegium illud obtrudatur.

Tertio; Quia D. Augustinus sexcentis in locis, mora quaestione de parvulis periclitantibus, quibus sacro baptismate succurri non potest, quamquam diligentiam omnem & Ministri sacri, & parentes adhibeant, illos inevitabiliter damnari pronunciat; eaque in parte Divinorum judiciorum inscrutabilem profunditatem agnoscit, adoratur; Uti videtur lib. de dono pers. cap. 12. lib. de corrept. & gratia cap. 8. lib. de grat. & libero arb. cap. 22. Epist. 105. ad Sinarum, & 107. ad Vitalium. At si parentum fides ac votum, baptismi vicem ea in occasione supplere possent; Non utique inevitabiliter damnarentur; nec quod damnentur, ad inscrutabilia Dei judicia refundendum esset; sed ad parentum conscientiam, qui fidei actum, in sua semper potestate positum, etiamdem in Uteris moriuntur parvuli, non emiserunt; nec votum uti poterant nuncuparint, nec externum aliquod signum pro arbitrio applicarint.

Quid quod Augustinus, eadem illa mota quaestione, responderet, nihil pueris illis, ita sine baptismate morientibus, prodesse posse, pietatem religionemque parentum, ut salventur? Aliquando Deus adoptat in filium suum, quem formavit in Utero impurissima semine, & non vult esse filium suum, quem formavit in Utero filia sua. Atque ita ille in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in Diaboli Domicilio, & non vult esse in regno suo, quem formavit in templo suo. Porro pueris illis prodesse plurimum possent parentum pietas, in ea ministrandi baptismatis impotentia, si fidei actus, votumque, Deo nuncupatum, baptismatis vices praestare illis possent, ut salventur.

Quid etiam quod D. Prosper in Carm. de ingratis, pueros illos ex hac vita sublato, absque baptismate suscipiendi opportunitate, nulla parentum cura, studio nullo posse salvari, disertissime docet? Cum videas multos, sanctis genitoribus oros, nullo salvari studio potuisse suorum. Possent autem salvari in systemate Cajetani; per actum scilicet fidei, votumque Deo Opt. Max. nuncupatum. Valeat ergo malenatum commentum illud, in injuriam Evangelii, totiusque Ecclesiasticae traditionis excogitatum.

Cajetanum in eum errorem induxit puerorum exemplum in veteri testamento; quos in fide parentum salvari potuisse Theologi docent, si ante octavam diem, non habita suscipienda Circumcisionis opportunitate, ex hac luce praepererentur. Idem enim de pueris novi Testamenti sentiendum existimavit Theologus purpuratus; parentum scilicet fide votoque & illos salvari posse. At quis disparem rationem non videat? Circumcisio quippe ante octavam diem, Deo legislatore ita mandante, conferri non poterat: Infans octo diebus circumcidetur in vobis. Quare si qui forte pueri, ante id temporis, ex hac vita rapiebantur minime circumcisi, non casu duntaxat id eveniebat, sed ex ipsa Divinae legis dispositione, qua vetabat Circumcisionem ante id temporis ministrari. Ideoque, ne per ipsam legem damnarentur, ad legislatoris providentiam pernebat, de altero illis remedio providere toto illo septiduo praecedenti; id vero non aliud erat, nisi pia parentum fides, illis provide applicata. At baptismus ex ipsa sui institutione, quovis tempore dari potest, pueris ab Utero recentibus, ac rubentibus. Ac si qui forte ex hac vita decedunt, sacro la-

vacro minime tincti, non ex Christi legis dispositione id accidit (per legem enim Christi D. ringi possent) sed casu tantum fatalique caussarum naturalium concursu, quem Deus impedire non teneret, tamen possit. Adeoque ad Christi D. providentiam minime pertinebat, de altero pueris illis remedio providere, qualemque sagatur esse, seu parentum fides, seu votum a quocumque alio nuncupatum. Sed nec illud praeterendum: Cajetanum exemplum illud puerorum veteris Testamenti, non modo instituto suo peperam accomodare, verum etiam ultra metas extendere: In veteri quippe Testamento parentum fides, natis duntaxat ex Utero pueris, prodesse poterat ad salutem, si primo illo septiduo morentur; Cum contra Cajetanus in novo Testamento, pueris etiam in Utero morientibus, parentum fidem, ac votum prodesse, contendat.

At ecce Cajetano suppetias affert Caramuel praefidentis ingenii Theologus, argumento isto alius exaggerato, quo Theologos omnes naso sibi visus est suspendisse. Baptismus, ait ille, legis Evangelicae privilegium est, supra Mosaicam legem; puerosque novi foederis meliorem in fortem evehit, quam in veteri fuerant. At si pueri nunc, non habita opportunitate baptismatis, fide parentum salvari non possent, quemadmodum, non habita opportunitate circumcisionis, parentum fide salvabantur olim; Non esset baptismus, legis Evangelicae supra Mosaicam privilegium, sed gratiam; nec melioris nunc fortis essent pueri, sed peioris; Quippe cum altera illa obtinenda salutis via iis minime suppetere, qua aliis suppetebat; possunt itaque pueri deficiente baptismate parentum fide salvari, quemadmodum olim deficiente circumcisione parentum fide salvabantur.

Rideo arguam, ac eo maxime rideo, quod patet coeli convexa digito terigisse, cum ne ipsam quidem difficultatem attingeret. Do habens, utroque fateor peiorem modo fore puerorum fortem, si in ceteris paribus essent baptismus & circumcisio; si, inquam, quemadmodum in veteri testamento, ex ipso praescripto legis, ante octavam diem, nequibat fieri circumcisio; ita & in novo, ante diem aliquem praesinitum, baptismus conferri non possent: sic enim lex baptismatis cederet in gravamen, puerique deterioris fortis essent, si deficiente ante praesinitam diem opportunitate baptismatis, parentum fides, tanquam altera salutis via, praesto non esset, quemadmodum deficiente per septiduum Circumcisionis opportunitate, parentum fides succurrerebat. At longe aliter se res habet, ut notum est: Imo in eo potius legis Evangelicae supra Mosaicam privilegium positum est, meliorque conditio sit puerorum novi foederis, quam antiqui; quod olim non nisi octavo die, remedium illis contra originale peccatum dari poterat, nunc vero statim atque ex Utero prodeunt. Ut sciamus majora alia baptismatis, quam circumcisionis commoda, & privilegia. Ut quod uberiorer conferat gratia copiam; quod iustificet ex opere operato, quod imprimat characterem, quod facilius ministraretur, & alia, quae commemorare longum esset, quae Christianam fortem meliorem faciunt, quam Hebraeorum.

Sed ais fortasse mihi; quo casu saltem aequae copia non suppetit, ut baptismus parvulo conferatur, tunc certe si parentum fide defectus ille suppleri non potest, deterioris fortis est puer, quam fuisset in veteri testamento, ubi circumcisionis defectum parentum fides suppleverat; at erras tu ipse, vir bone, si putas parentum fidem, in veteri Testamento, circumcisionis defectum, quocumque occasione, quocumque tempore supplere. Quod certe tam falsum est, quam quod

maxi-

maxime. Supplebat enim duntaxat toto illo prior septiduo, quo ex Dei mandato nondum poterat circumcisio conferri: alio vero tempore, aliave occasione non supplebat: sed omnis anima cuius praepitui caro incircumcisa erat, peribat de populo Dei. Quare dum nunc baptismi defectum, ex aequae penuria, aliave casu contingentem, parentum fides non supplet, non est puer deterioris conditionis, quam fuisset in veteri Testamento, si quo forte casu, post primum illud septiduum circumcidi non posset; Nam & tunc parentum fides supplere non poterat.

Nihilo melius Cajetani sententiam juvat adultorum exemplum; qui tamen generali Christi lege teneantur, Nisi quis renatus fuerit; deficiente tamen opportunitate baptismatis, fide, desiderio, votoque baptismi iustificatur, atque salvatur; Quod quidem baptismus flammis Theologi dicunt. Neque enim, inde consequens est, ut & parentes, filios suos fide votoque perinde iustificent, quemadmodum iustificatur & ipsi. In primis enim quod legis huius Evangelicae generalitatem spectat, Traditio Ecclesiastica, quae Divinarum legum interpret est absolutissima, eam sic semper a primis saeculis intellexit, ut renasci spiritu, re ipsa semper oportuerit; aqua vero renasci necesse fuerit, vel re, si addit oportunitas; vel voto, ac desiderio, si non addit; Voto tamen, ac desiderio proprio: uti docent D. Ambrosius Orat. in obitu Valentiniani, & D. Augustinus lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 22. At nunquam sic legem illam intellexit Ecclesia, ut satis sit baptismatis votum ac desiderium alienum, nempe parentum, ut quis sine baptismate actu suscepto salvetur. Secundo: actus fidei ac desiderii, iis duntaxat prodesse potest, a quibus elicitor, non item aliis, nisi Deus, ut ita proferat, ordinaverit. Cum igitur in novo Testamento, nulla Dei lege statutum sit, ut fidei ac desiderii actus a parentibus elicitor, filius etiam profit, nisi sit baptismate conjunctus, nil mirum si solis ad salutem parentibus proferat, non item filijs, ut in veteri contingebat, ubi parentum fides filijs quoque proderat ad salutem: Neque propterea consequens inde est, veteris Testamenti fidem, efficaciorer fuisse novi. Quod enim haec prodesse etiam aliis, nempe filijs ad iustitiam, non ex majori illius efficacia contingebat, sed ex Divina destinatione; Deo scilicet ita volente, quia ante octavam diem, pueri circumcisionis beneficio iustificari non poterant, uti possunt nunc iustificari pueri per baptismum.

Gemino alio exemplo Cajetani systema juvari posse aliqui putant. Primum istud est: Si gravis mater martyrio afficiatur, & pro Christo D. mortem oppret, martyr habetur & filius utero eius inclusus: cur non ergo, matre fidei actum elicente, votumque concipiente, filius quoque credere reputatur?

Alterum istud est: Parentibus atque patris, fidem pro pueri profitentibus in baptismate, censetur puer fidem profiteri & credere, atque ita iustificatur: quid ni ergo extra baptismum idem perinde contingit?

Neutrum tamen exemplum quidquam evincit. Ideo enim gravis mater martyrio affecta, ac pro Christo moriente, filius quoque martyr evadit; quia tunc una cum matre moritur & filius: at fidei actum elicente matre, non perinde actum fidei elicitor filius.

Similiter parentum patrinorumque fides prodest puero baptizato, non ratione sui, sed ratione baptismatis, vi cuius aggregatur Ecclesiae, & habitus fidei ceterarumque virtutum puero infunduntur. Idcirco extra casum baptismatis nihil pa-

rentum fides prodest filijs ut ejus ope salventur.

Supereff ultimam Campanellae & Caramuelis momentum, quo Cajetani Commentum pietatis specie cohonestare sibi visi sunt. Nempe, inquit illi, si pueris illis de vita periclitantibus, quibus baptismus conferri nequit, succurri aliunde non posset, per actum fidei votumque parentum, Deus sinceram de illorum salute voluntatem nequaquam haberet, quandoquidem de nullo illis medio ad salutem obtinendam sufficienti providisset Deus. At hoc ego momentum Citharadis & ribicinis linquo. Tria quippe cantilena est, cui libet scena serviens: Cui etiam ante diem alterum, dum de pueris in Utero baptizandis dicere, cumulate respondi. Hoc dico tantum: Si Deus sinceram de puerorum illorum salute voluntatem non haberet, quibus puerorum parentum fide succurri non posset, ostendat si potis est Cajetanus, qua tandem ratione, puerorum illorum salutem velle censendus est Deus, qui inter parentes gentiles, & hebraeos de vita periclitantur; quibus certe, nec per sacrum baptismum succurri potest, deficientibus nempe ministris, qui baptismum conferre sciant, aut velint; nec per fidei actum, votumque conceptum, cui elicendo concipiendoque parentes infideles sunt penitus impares. Quidquid ad hac responsi dederit Cajetanus, ut sinceram Dei de salute omnium voluntatem in tuto ponat; & hoc idem in ea, quae modo sit difficultate, respondebo.

Cajetani commentum a nobis haecenus confutato suffragari utrumque videtur, quod habet Joannes Gersonius Sermo de Nativ. B. Virginis, habito in Concilio Constantiensi, ubi consilium dat parentibus, quorum filius in matris Utero, sine baptismate Sacramento proxime moriturus sunt, ut Christum Dominum orent, quo pueros illos proxime morituros, baptismate saltem Spiritus S. initiare dignetur absque aquae lavacro; additque spem esse, ut Deus huiusmodi precatorem exaudiat. Parentum itaque fide precibusque, sine aquae baptismate, salvabuntur pueri illi, si Gersonio fides est.

At nec id quidem suffragatur Cajetano. Quod enim pro certo ponit Cajetanus, puerum scilicet parentum fide votoque, sine baptismate salvari posse, id uti rem omnino dubiam incertamque Gersonius innuit: Quis scit, inquit, si forte exaudiat Deus? Quamquam & illud Joannis Gersonii Consilium imprudens omnino est, ex zelo quidem profectum, sed non ex scientia, utpote Christi sententia in Evangelio late palam aperteque contrarium: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum Caelorum. Parentibus eo in casu orandum est potius, ut quia sine baptismate salus nulla periclitantibus pueris speranda est, dignetur Deus eosdem in vita servare, donec in lucem editis, aqua salutari abui possint. Sic orabat illa mulier, cuius mentionem ingerit Augustinus serm. 33. de Diversis, cuius infans sine baptismate extinctus fuerat: Orabat, inquam, pro eo, non ut salvetur sine baptismate, sed ut vel ad momentum revivisceret, quo sic baptizari posset: quod etiam ingenti portento factum est. Revixit, inquit Augustinus, filius ejus, continuo tulit illum ad presbyterum, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completisque omnibus Sacramentis, assumptus est. Orandum igitur pro parvulis periclitantibus, non ut sine baptismate salventur, quod absurdissimum est, sed ut ad baptismum perveniant.

Qua in re, si non exaudiantur parentes, intelligent Dei voluntatem esse, ut non perveniant ad salutem; quemadmodum & alii tam multi, qui sine

sine Sacramento regenerationis ex hac luce rapiuntur apud barbaras gentes, & a Christi fide alienis, quibus nulla ratione succurri potest.

Ruit igitur ab imo Card. Cajetani commentum, statque inconcussa indubitataque baptismi necessitas; necessitas, inquam, non præcepti modo, sed mediæ, cujus vices nulla parentum vota, fides nulla, observatio nulla in parvulis suppleant. Num vero in adultis saltem defectum baptismatis, ubi illius obtinendi deest opportunità, ardens desiderium, fidei & Charitati conjunctum supplere possit, futuræ prælectionis argumentum erit.

PRÆLECTIO XVI.

Baptismi defectum desiderio votoque suppleri, ubi non adest suscipiendi opportunità.

In ea quæ mihi nunc agitata venit gravissima controversia: Num baptismatis desiderium ac votum, eisdem vices suppleat in adultis, ut salutem sine baptisate consequi possint, ubi illius suscipiendi non est opportunità; tota ferme, ad unius Oraculi Evangelici criterium, devolvitur difficultas: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum Cælorum. Jo. 3.* Si enim cætera ferme omnia consulamus Sacrarum Scripturarum Oracula, perfectum est, promissam esse salutem, regnumque Cælorum iis esse assertum, qui Fide, Spe, Charitate in Deum conversi fuerint, nulla baptismatis suscipiendi mentione facta, (in ipsa etiam lege Evangelica, ut de veteri tacem); *Sic Mart. 7. Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Lucæ 2. Omnis qui credit in illum non confundetur. Rom. 10. Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Nulla est illic, ad salutem obtinendam, imposta suscipiendi baptismatis obligatio. Verum ubi ad laudatum Christi oraculum ventum est, nisi qui renatus fuerit &c. ad illud, tanquam ad scopulum illidi videntur omnia: quippe quod, præter internos illos virtutum actus, baptismatis susceptionem, ad salutem necessariam, aperte declarat.*

Illud ergo ad propositæ quæstionis eliquationem expendere necesse est, quem sensum Christi D. Oraculum habeat, numne exceptionem patiat aliquam. Si enim palam ostendero, Christum iis verbis baptismum aquæ, vel re, vel voto, seu desiderio suscipiendum indixisse; re quidem, si adest opportunità, voto ac desiderio si non adest, resoluta ac definita quæstio erit, aperteque constabit, Baptismum aquæ in adultis desiderio votoque suppleri posse; Id vero multis evinco, multis ostendo.

Ac primo quidem ex Sacris Litteris, in quibus generalis lex illa est, *hominem videre ea que apparent, Dominum autem intueri cor*, ut legitur *1. Reg. Cap. 16.* Qui ergo intimo corde desiderat per baptismum regenerari ex aqua & Spiritu S. corde jam regeneratus est, in oculis Dei, licet non corpore, & in oculis hominum; sicut & Apostolus ait *Rom. 11. quod circumcisio cordis est in Spiritu, non Littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Ac quemadmodum in malis voluntas pro facto reputatur; adeo ut qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam merchatus sit eam in corde suo, *Mart. 5. ita in bonis*; adeoque qui baptismate renasci sincere voluerit, jam in corde renatus est. Hinc in Actibus Apostolicis, quo tempore baptismus in præcepto

jam erat; Spiritu S. donatos, atque ita justificatos legimus bene multos, antequam jubente Petro, aquæ baptismate lustrarentur; justificatos inquam solo baptismatis desiderio votoque; *Numquid aquam inquit Petrus, quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, sicut & nos? & iussit eos baptizari in nomine Domini Jesu. Nempe spiritu regenerati jam erant, antequam tingerentur, ob ardens scilicet baptismatis desiderium. Quin & Christus ipse, cum Mart. ult. dixisset, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, subiunxit e vestigio, qui vero non crediderit, condemnabitur; minime tamen addidit, qui vero baptizatus non fuerit, condemnabitur: ut inueneret, ex defectu quidem fidei, damari semper homines, non semper tamen ex defectu baptismatis; dum nimirum non est suscipiendi baptismatis opportunità, suppletque votum ac desiderium.*

In eundem plane sensum, Christi Domini baptismum indicentis oraculum intellexit Patrum traditio: ut nempe re quidem baptisate sit recipiendum si adest opportunità, voto autem ac desiderio si non adest. Sic D. Cyprianus *Epistola ad Jubajanum* proposita sibi quæstione, possint re ad salvari, qui in Christi Ecclesia conversantur bona fide, putantes se esse baptizatos, qui tamen re ipsa baptizati non sunt; Respondet, posse omnino salvari, & ab Ecclesiæ muneribus non separari; *Potens est Dominus Misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt ab Ecclesiæ sue muneribus non separare.* Supponit ergo, eo in casu, ardens baptismatis desiderium quo fervet ille, qui ita bona fide in Ecclesia conversatur, aquæ baptismum omnino supplere. Luculentius vero D. Augustinus *lib. 4. contra Donatistas Cap. 22.* producta D. Cypriani auctoritate; *Diu multumque (inquit) considerans, invenio etiam sine regenerationis lavacro, ipsam fidem, conversionemque cordis satis esse. Et interposito latronis exemplo, quem desiderio baptismatis spiritualiter renatum existimat, subdit; sed tunc impletur invisibilitur, cum Mysterium baptismi, non contemptum religionis, sed articulus necessitatis excludit (a).* Quocirca tamen observare necesse est SS. Doctorem *lib. 2. Retract. Cap. 18.* agnovisse tandem, ultroque fassum esse, Latronis exemplum, minus ad rem probandam fuisse appositum, cum quo tempore penderet in cruce, nondum Christi baptisate in præcepto esset, attamen dogma ipsum firmiter atque constanter tenuisse. Omnium vero disertissime S. Ambrosius *Oratione in obitu Valentiniani Imperatoris.* Cum enim baptismum expetisset Imperator, sed certas ob causas dilulisset, volens a Sanctissimo Præsule baptizari, priusquam ad eum perveniret præcipiti morte in itinere sublatus est. Ad quod intendens D. Ambrosius inquit *laudata in oratione: Ventrem meum doleo, ut propheticè utar eloquio, quoniam quem in Evangelio etiam generatus, amisi. Sed ille non amisit gratiam, quam poposcit. Et post pauca converso ad populum sermone, audio vos dolere, quod non acceperit Sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi peritio? Atque etiam dudum hoc voti habuit: ut & antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proximo baptizari se a me velle significavit; & ideo præ cæteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam quam desideravit? non habet quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit. Unde illud est: Justus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit. Cap. 4. . . Si Martyras suo abluuntur sanguine,*

& hunc sua pietas abluat, & voluntas. Deinde post multa ad ipsum Imperatorem Valentinianum converso sermone: *Non quicumque te, sed Christus illuminavit gratia Spirituali. Ille te baptizavit, quia humana tibi Officia deserunt. Plus adeptus es, qui minor te amisisse credebas. Quibus proferri nihil luculentius potest, ut aquæ baptismum eisdem desiderio votoque suppleret, ubi deest opportunità, demonstrat.*

Idcirco undecimo vertente sæculo, mota inter viros nonnullos eruditos hac ipsa quæstione: posset ne quispiam salvari, sine aquæ baptismate re ipsa suscepto, quem tamen cum vera fide & contritione cordis expetisset, consultus ea de re D. Bernardus, respondit *Epist. 77.* quæ est ad Hugonem Victorinum SS. Augustini, & Ambrosii auctoritate fretus, si quis voluerit, & poterit baptizari, & mortis præventus articulo, forte obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, Charitas sincera, huic ego ob solam aquam, si desuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacillare credere fidem, nec confundere Spem, nec excidare Charitatem, tantum si aquam non contempserit, sed sola ut dixi prohibeat impossibilitas. Idem docet D. Thomas 3. p. q. 68. art. 11. *Potest, inquit, Sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu præventus morte, antequam baptismum suscipiat, & talis, sine baptismate actuali salutem consequi potest, propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cujus potentia Sacramentis invisibilitur non alligatur.*

Secundum hanc Patrum traditionem pronunciauit Innocentius III. *Cap. debitum, extra de baptismate, occasione Judæi non vere baptizati, sed tamen vehementer baptismi desiderio flagrantis. Si continuo, inquit, decessisset, ad patriam protinus evulisset, propter Sacramentum fidem, non propter fidei Sacramentum; Et Cap. Apostolicum de Presbytero non baptizato, sed cum bona fide suscepti baptismatis, ex hac vita sublato, respondet idem Pontifex, eum, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solum, Cælestis patriæ gaudium esse adeptum.* In eundem sensum pronunciauit pariter Concilium Tridentinum, *Sess. 6. de Justif. Cap. 4.* decernens, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, justificationem fieri non posse. Solo itaque voto, seu desiderio potest homo regenerari.

Quæ cum ita sint, intelligere facile est, quid sibi velint laudati Ecclesiæ Patres, Ambrosius, & Augustinus: ille quidem libro de *his, qui mysteriis initiantur, Cap. 4.* dum ait, credit Catechumenus, sed nisi baptizatus fuerit, remissionem non potest accipere delictorum. Quasi fides non sufficiat sine baptismate actu suscepto: Ille vero tractatu 13. in Joannem, dum inquit, quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc tamen Sarcinam iniquitatis sue portat; nec illi dimittitur, nisi dum venerit ad baptismum: Et libro de peccatorum meritis *Cap. 36.* Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non est valet ad intrandum regnum Cælorum, aut ad peccatorum remissionem: Certe nihil secum ipsi aperte pugnant Ambrosius & Augustinus; de Catechumenis illic agunt, extra necessitatis articulum, vel qui tanto non fervent suscipiendi baptismatis desiderio; imo qui suscipere negligunt, differuntque de industria, ad protractam ætatem. Hunc enim absum in Ecclesiâ Occidentali irrepentem sæculo IV., & V. coercere studuit D. Ambrosius, uti in Orientali præferant S. Basilium, Gregorius uterque, Nilivæ, & Nazianzenus: ut legere est; apud Baronium, in *annalibus ad annum Serry Tom. IV.*

377. Sicubi vero laudati Patres, aliique forte nonnulli docent, non aliam esse salutis viam, nisi aut baptismum in Christo, aut mortem pro Christo; ut S. Augustinus *lib. 1. de anima, & ejus origine Cap. 9. lib. contra mendacium Cap. 20. lib. 13. de Civitate Dei Cap. 7.* & S. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum Cap. 3.* seu etiam, si quandoque inuunt, neminem baptismatis lege solum esse, ut S. Ambrosius *lib. 2. de Abraham Cap. 11.* S. Joannes Chrysostomus *Homil. 24. in Joann.* Si certe generali baptismatis nomine, utrumque simul intelligunt, aquæ nimirum, & desiderii, fluminis ut ajunt, & flaminis; quorum alterutrum, præterquam in casu Martyrii, homiud ad salutem est necessarium: aut etiam secluso necessitatis casu loquantur. Id ni velint, secum ipsi pugnant, qui alibi necessitatis casum excipiunt.

Æque facilis est intellectus Canonis Catechumenum *dist. 4. de consecratione, Catechumenum quamvis in bonis operibus desunctum, vitam æternam habere non credimus, excepto martyrio.* Sensus quippe est, ut monet Doctor Angelicus 3. p. q. 68. art. 2. Catechumenum in bonis operibus desunctum, statim quidem & illico ad vitam æternam pervenire non posse; quia baptismi desiderium tamen sufficit ad salutem, ab omni tamen reatu peccati hominem non liberat; cum plena hujusmodi, & universalis liberatio, a culpa simul & peccata sit effectus baptismi re ipsa suscepti, atque martyrii: non statim ergo ad vitam æternam pervenit Catechumenus, pervenit tamen soluta peccata. Quamquam nec illud silendum puto, Canonem illum spiritum esse: Tribuitur quippe Augustino apud Gratianum *dist. 4. de consecratione.* Cum tamen libere de Ecclesiasticis Dogmatibus, ex quo desumptus est, Augustini non sit, sed Genadii Viri medullitus Semipelagiani.

Sed oppones fortasse mihi, in gratiam adversæ Sententiæ: tam est generalis lex ista baptismum indicens *Joan. 3.* quam altera lex quæ cordis contritionem, Fidemque, Spem, Charitatem exigit ad salutem: Quemadmodum ergo ab illa dispensatio non datur, qualicumque fingatur necessitatis casus; ita nec ab ista dispensatio est, tamen necessitas urget. Respondeo inter utramque legem, geminum esse discrimen. Primo enim; lex Fidem, Spem, Charitatem postulans ad salutem, cordisque contritionem ad veniam, actus internos exigit ab homine, qui semper cum Dei gratia in hominis potestate esse dicuntur: lex vero baptismum indicens, externi ritus perceptionem injungit, quæ semper in hominis potestate non est, sed ab externo agente seu ministro dependet. Secundo: Prior illa lex, ita est positiva, ut tamen ex lege nature æquitatem habeat, quæ certe dicat, ut venia non detur nisi poenitenti; Salus non nisi credenti, speranti, diligenti concedatur. Ex adverso baptismatis lex simpliciter positiva est ex solo Dei nutu pendens, naturali æquitate minime exigente, ut homo non nisi tinctus aqua salvetur. Quare nil mirum, si hæc dispensationem admittat aliquam, non itidem illa.

Eccur ergo, inquires, non eadem pueris, quæ adultis conceditur dispensatio, ut & ipsi sine baptisate re ipsa suscepto salutem obtineant, ubi illius suscipiendi copia non adest? Respondo in promptu est: Quia in pueris nihil est quod defectum baptismatis suppleat, non fides in illis est, non votum, non desiderium: qualia tamen ad supplementum veniunt in adultis. Nec est quod reponas, posse alios saltem pro parvulis credere vorumque concipere, uti pro illis credere dicuntur susceptores atque parini, dum baptizantur. Aliena quippe fides non est apta prodesse parvulis: si prodest dum baptizantur, ratione tantum

baptismatis prodest, Adeoque dum illis non adest copia baptismatis, nec adest illis alienae fidei copia, quae defectum baptismatis suppleat. In *Infirmis enim*, ut loquitur Augustinus, *credere est baptizari, non credere non baptizari.*

Quandoquidem autem desiderium in adultis baptismatis vicem supplere, jam satis ostendi, & contra impugnantes probe defendi, faciam nunc operae pretium, si paucis exposuero, quale quantumque desiderium illud esse debeat, ut supplendi vim habeat; ac vicissim quale quantumque sit supplementum, quod desiderio dicitur obtineri.

Quocirca de primo breviter dicam, ad sufficientem desiderium votumque baptismatis, satis profecto non esse, si baptismata nec continentur, nec negligatur: quandoquidem ipsa quoque confirmationis, & Extremae Unctionis Sacramenta, citra culpam contineri ac negligi non possunt; quae tamen non perinde ac baptismum dicimus necessaria: sed vero propinquo actu desiderari, optari, efflagitari debet baptismatis Sacramentum, dum haberi re ipsa non potest, quandoque quidem distincte atque expresse, quandoque vero generatim atque confuse, pro mensura scilicet cognitionis & fidei, quae de Christiana Religione habetur. Pone etenim E. G. mihi aliquem, cui primus duntaxat fidei, & cognitionis supernaturalis radius affulgeat, quo noverit Deum naturam unam, personis trium esse, personarum ex his alteram factam esse hominem, novamque legem instituisse. Is certe sufficienter baptismum desiderare censetur, si generatim optaret implere omnia, quae Christi lege jubentur; inter quae profecto baptismus est, de quo tamen nec dum tunc distinctam notitiam haberet. At si alterum mihi dederit, cui plena & integra sit Christianae Religionis notitia, quae suscipiendi baptismatis legem, a Christo latam distincte noverit; is nisi distincte atque expresse baptismum velit, & optet, quamquam sit in auge illis positus, sufficiens ad supplendas baptismatis vices desiderium habere minime reputabitur. Eo quippe modo desiderare debet, quo novit esse necessarium, novit autem expresse debet desiderare; quod si faciat, non modo desiderii sui fructum non percipit, verum etiam neglecti contemptique baptismatis reus est.

Quale vero quantumque sit baptismatis supplementum, quod desiderio obtineri demonstravimus: Num scilicet desiderium omnes baptismatis effectus suppleat in adulto, remissionem culpae, infusionem gratiae, relaxationem poenae, Characteris impressionem; altioris inquisitionis est, ac laboris. Idcirco in sequentem lectionem mittimus, Deo volente, explicandum.

PRÆLECTIO XVII.

Quid specialiter suppleat desiderium, demonstratur.

Baptismi defectum desiderio votoque suppleri, ubi non adest suscipiendi opportunus & dignus saepe, & probavimus luculentur: Verum quinam specialiter baptismi effectus desiderio votoque obtineantur, & quomodo, ne leviter quidem insinuavimus. Cum ergo non unus sit baptismatis effectus, sed quadruplex; deletio videlicet culpae, infusio gratiae, relaxatio poenae peccati debita, characteris impressio, quos omnes effectus ex opere operato baptismus producere dicitur; illud in praesentia superest explicandum, num omnes illos effectus, eodemque modo producat desiderium, ac votum, an aliquos tantum ex illis.

Et duos quidem primos baptismatis effectus deletionem culpae, & infusionem gratiae, desiderio

votoque produci, arbitror manifestum. Cum enim duo illi effectus indivise conjuncti sint, (reputat enim remissionem culpae, absque gratiae infusione fieri aut nihil plane desiderium votumque producit, aut si quid producat, (quod jam fecimus manifestum) utrumque illum producat effectum, remissionem scilicet culpae, & infusionem gratiae.

Verum de tertio baptismatis effectu, relaxatione scilicet poenae peccati debita, longe aliter statuo; Nempe usque adeo desiderio votoque non produci, ut si quis eo solo renatus desiderio, non item aqua, ex hac vita decederet, adhuc in altero saeculo debitas poenas lueret; non illas quidem aeternas, sed temporaneas; quod tamen in renatis aqua baptismatis, si statim ex hac luce rapiantur, non contingit.

Sic sane Doctor Angelicus 3. part. quest. 68. art. 2. ad 2. Si quis, inquit, *Catechumenus sit, habens desiderium baptismi, talis decedens non statim pervenit ad vitam aeternam, sed patietur poenas pro peccatis praeteritis: ipse quidem salvabitur, sic tamen quasi per ignem; hoc est per ignis purgatorii poenas.*

Eam ob causam D. Ambrosius, hac ipsa in oratione habita in obitu Valentiniani Imperatoris, ex hac vitae sine baptismis sublata, quem summe optaverat; postquam illum suo ipsius voto ac desiderio baptizatum, suaeque ipsius pietate ac voluntate ablutum, dixit, commendavitque: populum tamen admonet, ut pro illo secum oret, inquiet; *Requiem ejus pio poscimus affectu: Et iterum Animam piam nostris orationibus prosequamur.* Et Innocentius III. Cap. Apostolicam de presbytero non baptizato, qui fide votoque regeneratus fuerat atque salvatus, *juges pro illo preces hostiasque Deo offerri jubet:* quae sane fructa moverentur, ac juberentur, nisi, & Valentinianum Ambrosius, & Presbyterum illum Innocentius, poenis purgatorii in altera vita detentos existimarent.

Quare quod de eodem Valentiniano paulo ante eadem in Oratione dixerat D. Ambrosius, eum *Vita aeterna jam sumi, plusque adeptum fuisse, quam amisset;* non de actuali fruitione, qua beatae mentes in Caelo gaudent, oportet accipere; sed de fruendi jure, quod animis poenas igne purgatorio luentibus, assertum est. Nec plus gratiae sine baptismis adeptum Valentinianum significat D. Ambrosius, quam ceteri per baptismum actu susceptum accipiunt; sed ejus in eo prerogativam & excellentiam ponit, quod cum alii baptizentur a Christo per hominis ministerium, hic sine hominis ministerio sit baptizatus a Christo, baptismus videlicet Spiritus; *Ille ta baptizatus, quia humana tibi officia deservit: plus adeptus es, qui minor te amisset credebas.* Ambrosii verba sunt, extantem Valentinianum in Oratione panegyrica compellantis.

Quod vero laudatus Innocentius III. habet cap. *debitum; extra de baptismo, & ejus effectibus;* Judaeum quempiam invalide baptizatum vehementer tamen baptismi desiderio flagrantem, (quippe qui se ipsum, non habita ministri copia, baptizaverat imprudens) ad Caelestem patriam, si ita decederet, protinus exolvaturum fuisse: Id ob charitatis ipsius, ac desiderii excellentiam, dictum est. Tanto quippe Judaeus ille flagrabat baptismi atque salutis desiderio, quanto ad poenam simul, & culpam delendam, satis esset. Quod sane ubi contingit, non negamus, poenam, non secus ac culpam expungi: At non quid praeter ordinem, ac veluti prodigialiter accidat, expendimus hic, sed quid ex lege Divinae Providentiae solito fiat.

Quartus baptismatis effectus, Characteris nimirum

rum baptismalis impressio, longe minus desiderio obtinetur & voto. Seu ut expeditius dicam, adultus solo desiderio votoque regeneratus in Christo, non idcirco Characterem baptismali insignitur: Characteris enim impressio, Sacramentalis initiationis effectus est proprius. Hinc sacri Canonum, hominis solo desiderio votoque regenerati ordinationem, (si forte subinde facta sit) irritam dicunt ac plane nullam, cap. si quis, & cap. Veniens, extra de presbytero non baptizato: ea sane de causa, quoniam baptismali Characterem non insignitur, ceterorum Sacramentorum incapax censetur. Non absimiliter hominem solo desiderio votoque regeneratum aqua baptismali lustrandum decernunt Ecclesiae Patres, ubi semel opportunitatem nactus fuerit; ea maxime ratione, ut notat Doctor Angelicus in 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 1. *Ut Characterem recipiat, quo adnumeretur populo Dei, & ad cetera Sacramenta percipienda deputetur.* Id ergo pro certo supponunt Ecclesiae Patres, Canoneseque, nullum baptismate flammis ac desiderio imprimi Characterem.

At inquiet mihi aliquis, contra primam assertionem a nobis positam de culpae deletionem, & infusionem gratiae, quo pacto fieri potest, ut qui jam desiderio votoque justificatus est, tum infusione gratiae, tum culpae deletionem, aquae baptismate subinde lustratur, si detur occasio, cum hujusmodi baptismi in eo locum habere subinde non possit? haec enim verba, *ego te baptizo*, non modo externam & materialem, ut ajunt, sed & internam & spiritualemente ablutionem a peccato significant, quae cum antea desiderio votoque facta sit, fieri ultra non potest.

Imo, inquit ego, potest maxime fieri; eo sane modo, quo quis perfecta contritione succensus, ad poenitentiae Sacramentum accedens, Sacramentalem absolutionem percipit, his verbis expressam, *ego te absolvo a peccatis tuis*, a quibus tamen vi contritionis jam supponitur absolutus; Quia absolutionis illius tunc sensus est, imperior tibi gratiam remissionis peccati, seu quae de se capax est remittendi peccata, si illis poenitentis ligatus invenitur; quamquam per accidens non dimittat, quia dimissa supponit. Ita ea baptismatis verba, *ego te baptizo*, spiritualemente lotionem significant, in homine per desiderium spiritualiter jam renato, hunc sensum habent, *ea te lotionem perfundo, quae peccati cujusque abstergendi capax est*, etsi per accidens non abstergat, quia illa supponit absterfa. Adde, abstergi atque mundari spiritualiter posse, non solum qui sunt infecti peccato, sed & qui illo mundati jam sunt; per augmentum videlicet gratiae sanctificantis, quae magis magisque hominem retrahit a statu peccati: juxta illud *Apoc. 22. qui justus est justificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc.*

Superest nunc explicandus modus, quo desiderium & votum priores illos baptismatis effectus producere dicitur. Quocirca constanter affirmo, effectus illos ex opere operantis duntaxat, non ex opere operato produci. Vis enim & efficacia delendi culpam, & gratiam infundendi ex opere operato, Sacramentorum duntaxat est propria, ex Concilio Tridentino sess. 7. Can. 8. Desiderium autem Baptismi tamen ardentissimum, nusquam ad Sacramenta dignitatem affurgit. Et certe, idcirco Sacramenta gratiam conferre dicuntur ex opere operato, quia eam per se se conferunt vi Dominicae Passionis, non vi suscipientium dispositionis. Non quod dispositiones in suscipientibus esse non debeant, sed quod illae ipse non sint principium, & mensura productionis Divinae gratiae. At desiderium baptismatis vices supplet, unicum principium est, mensura unica productionis Di-

Serry Tom. IV.

vinæ gratiae justificantis; imo desiderium nil nisi opus operantis est: Non igitur ex opere operato, sed ex opere operantis gratiam producit hujusmodi desiderium.

Is de desiderio votoque baptismatis, ejusdem vices suppleat, cumulate probatis, bonoque in lumine positus, alterum inde necessarium confectarium sponte fuit, de quo mihi est in praesentia differendum: Baptismi scilicet vices, Martyrio perinde suppleri; ac meliori etiam jure, tituloque. Si enim a Regno Caelorum non excluduntur, qui recta in Deum fide conversi, a desiderato baptismate necessitate aliqua externa impediuntur: quanto magis non secluduntur ii, quorum tanta Fides est, Charitas tanta; ut pro Christo etiam mortem optent? Idcirco, omni retro aetate in Ecclesia Catholica creditum est, martyrium non modo supplere baptismum, verum etiam baptismi genus esse, longe praestantius, digniusque; Uti legere est apud Tertullianum lib. de baptismo cap. 16. S. Cyprianum Epist. 13. ad Jubaianum, & in praefatione libri de exhortatione baptismatis, S. Cyrillum Hierosol. Catechesi 3. S. Basilium lib. de Spiritu S. cap. 16. S. Augustinum lib. 13. de Civitate Dei cap. 7. & D. Ambrosium Orat. in obitu Valentiniani Imperatoris.

Cujus rei ratio duplex est. Quia baptismus aquae fit in mortem Christi, seu in illius mortis imitationem, juxta illud Apostoli ad Rom. *Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus:* martyres autem Christi Domini mortem, non in figura tantum, sed & veritate referunt, & imitantur; cum Christo scilicet, & pro Christo morientes; adeoque non aqua quidem, sed suo sanguine baptizati dicuntur. Secundo; Quia Christus in Evangelio vitam aeternam adpromisit, mortem pro ipso oppetentibus: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam, Matth. 16. qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: cap. 10. idque summo jure;* martyrium enim heroicae charitatis actus est, quae major dari non potest. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis.* Seu ergo aquae baptismate antea lustratus sit Martyr, seu illo, necessitate aliqua praepeditus, fuit, destitutus, oppugnata fides falleret Christus, nisi illum in regnum Caelorum admitteret. Maxime vero, cum martyrium desiderium votumque baptismatis necessario complectatur. Repugnat enim eum desiderio suscipiendi baptismatis non accendi, Christi lege praecipit, qui pro Christi lege testanda tendaque, animam ponit.

Nec modo martyrium, aquae baptismum supplet, sed & plures illius praestat effectus, quam desiderium. Desiderium enim, ut paulo ante probavi, poena pro delictis, in altera vita subeunda, debitum minime tollit; martyrium tollit, ut nulla proflus in altero saeculo poena luenda superfit martyri; quamquam vitam secleribus plenam duxisset ante martyrium. Hinc Ecclesia nusquam pro martyribus, qualescumque illi fuerint ante martyrium, preces fudit: imo, ut loquitur Cyprianus, *injuriam facit martyri, qui orat pro eo, cui nulla in altera vita reservata est poena:* nimirum ob excellentiam charitatis, martyrii actu importatae, quae omne poenam debitum solvit.

Quorum ergo, inquit, D. Cyprianus Epist. 54. quae est ad Cornelium, tam sollicito monet, ut qui ad martyrium accedunt, prius Ecclesiae reconciliantur, si aliquo forte delicto teneantur obstricti? *Nec quisquam dicat, qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab Episcopo necessaria est, habituro gloriae suae pacem, & accipituro majorem de Domini dignatione mercedem?*

F f f 2 An

Annon enim reconciliatio illa, minus necessaria videretur, si martyrium culpam omnem abstergeret, penamque dimitteret? Quorum etiam Concilium Tridentinum *sess. de justis. cap. 4.* decernit, post Evangelii promulgationem, justificationem hominis sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non posse? Is quippe verbis locum nullum martyrio dare videtur Sacra Synodus, ut eo etiam justificari possit homo.

Respondeo, D. Cyprianum eam reconciliatorem lapsis ad martyrium properantibus, uti maxime congruentem suadere, tam propter præcedentem implendum Christi D. tum ad vitandum periculum præsumptionis, tum ut majori gratia muniti fidei pugiles, securius ad pugnam accedant. Hinc nonnullos in carcere a focis martyrii legitimus baptizatos, nonnullos etiam ut baptizari possent, ad tempus se se occultantes, quemadmodum de quodam Antonino refert Ufuardi Martyrologium 4. Kalendas Septembris. At non sunt hæc absolute martyribus necessaria: & si qua in iis omittendis negligentia foret, illam etiam negligentiam culpam subsequens martyrium abstergeret.

Concilium autem Tridentinum, recensito baptizato illiusque voto, nullam pro obtinenda justificatione martyrii mentionem ingerit, quia de iis obtinenda justificationis mediis differit, quæ & necessaria sunt, & ad hoc ipsum sunt, seu jure positivo, seu jure veluti naturali, quale profecto martyrium non est. Nec enim ad obtinendam justificationis gratiam martyrium per se necessarium est; nec ad id toleratur, sed ad fidei Christianæ testimonium, quamquam martyrium tolerandum, gratia justificationis obtineatur. Addo, Concilium de iis obtinenda justificationis mediis agere, de quibus erat cum Lutheranis, & Calvinianis controversia. Calviniani autem etiam de baptizato aquæ, illiusque voto disceptarent, essentia obtinenda justificationis media necessaria; nunquam, tamen in dubium revocarunt, posse tamen baptismum aquæ martyrio suppleri: Ut ea de re necesse fuerit, Concilium Tridentinum aliquid definire.

Altera martyrii, supra baptismatis desiderium, prærogativa ista est; quod laudatos effectus præstat, ac suppleat aliquando, non ex opere operantis, sed ex opere operato. Ut videtur in martyrio puerorum, qui aut non circumcisi in veteri testamento, aut non baptizati in novo, in odium fidei occiduntur. Il quippe tanquam veri martyres ab Ecclesia dignoscuntur; omnique & culpa originali, & pena eidem debita sunt soluti, atque in Regnum æternum recta perveniunt; quamquam mors ab iisdem tolerata, quæ est opus operantis, in iis meritoria esse non possit; defectu nimirum liberi arbitrii, cujus nondum usum habent. Adeoque sola Christi D. passio, quæ opus operatum vulgo dicitur, id totum in iis parvulis martyribus præstat, ex gratuita liberalitate, quo pacto præstat in Sacramento baptismatis.

Nec propterea Sacramentum reputandum est, puerorum illorum martyrium, & si mirandos illos effectus in iis præstat, ex opere operato: quia non est institutum, ut signum aliquod gratiæ collateralium; Sed passio quædam, & tollerantia est; cui hoc privilegium contulit Deus, ut quotquot illam pro fide subeunt, sive baptizati, sive non baptizati, nullam patiantur moram, quominus ad Cœlestis Regnum perveniant.

PRÆLECTIO XVIII.

Quandam facta sit Baptismatis institutio, quaritur.

Baptismum a Christo D. fuisse institutum, uti legis Evangelicæ Sacramentum, nemo tam obductæ frontis extitit, ut negaret. At illud maxime in questionem vocare soliti sunt Scholastici Tractatores, quandam ea facta sit institutio? Num ante Christi Passionem, & Resurrectionem? Quove distinde tempore, quave occasione vita mortalis, aut forte gloriosa?

Quod primum interest, ea Alberto Magno, & Alexandro Alesi infedit opinio, nonnisi post Domini Resurrectionem institutum esse baptismatis Sacramentum.

Quibus quoque pacto præcludere visum sunt Tertullianus *lib. de baptismo c. 11.* S. Joannes Chrysostomus *Homil. 28. in Joan.* & Theophylactus *in cap. 3. Evang.* Contra quos absque cunctatione pronuncio:

Indubitatum omnino est, Sacramentum baptismi fuisse ante passionem institutum. Ita D. Augustinus *Tract. 13. c. 15. in Joannem & Epist. 108. & S. Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 57.*

Hujusmodi sententia probationem peto ex Joannis Evangelio *cap. 3.* Ubi Christus dicitur baptizasse, jam ab initio suscepti publici ministerii: *Venit Jesus, & discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat:* Non quidem per se se, sed suorum discipulorum ministerio; uti paucis interjectis adnotavit Evangelista: *quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Perseptum autem est, Christum Apostolorum suorum ministerio, Joannis baptismi minime contulisse; sed suum; atque ita jam tunc institutum erat baptismatis Sacramentum.

Id inquam perseptum dico, quod & multis evinco.

Primo; Si Apostoli jam tunc baptizassent baptismate Joannis, non Christus per eos baptizasse diceretur, sed Joannes, cujus baptismum contulissent.

Secundo; Joannes ipse baptismum suum, ab illo ipso baptismate distinguit aperte, quo Christus (suorum utique discipulorum ministerio) baptizabat, ponitque inter utrumque antithesim: *Ego baptizo in aqua, ille autem in Spiritu S. & igne.* Adeo verum est, Christum suo ipsius, non Joannis baptismate, sub initium suscepti ministerii baptizasse.

Tertio; Orta est contentio inter Joannis Discipulos, & Christi, occasione baptismatis ab ipsis jam tunc ministrati: *Discipuli Joannis venerunt ad Joannem, & dixerunt ei; Rabbi qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Jo. c. 3. Nulla vero fuisset emulacionis causa, si Christus Joannis baptismate baptizasset, cum & id ad Joannis gloriam & honorem cessisset potius.

Quarto; *Act. 19.* qui erant in Joannis baptismate baptizati, a Paulo rebaptizari justis sunt: non ii tamen secundo baptizati leguntur, qui fuerant a Christi discipulis baptizati. Non ergo Joannis baptismate baptizabant: itaque baptismate Christi, quod idcirco jam tunc fuisse institutum oportuit. Confirmat hoc vel maxime, quod quædam alia Sacramenta a Christo instituta fuisse constat ante Christi D. mortem, ut Eucharistiam, & Ordinem. Ante mortem igitur Baptismum institutum fuisse oportuit meliori titulo, cum & illum

lum cæterorum omnium Sacramentorum januam esse perseptum sit.

Accedit, quod Apostoli Christi baptismate baptizati credantur, antequam Christus Cenam suam ultimam celebraret, in qua pedes iisdem lavavit. Idcirco enim Christus in ea pedum lotionem dixit Petro, *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*, quia Discipulos baptismate lotos supponebat: ut interpres est Augustinus *Tract. 5. 15. c. 16. in Joannem.*

His ferme momentis, sat bene retusam arbitror Alberti Magni, & Alexandri Alesi opinionionem, de Christi baptismate post Resurrectionis Triumphum duntaxat instituto; Quin ultra necesse sit, in alias Tabellas excurrere, quæ a piis, & religiosiis formatioribus venditantur: a quibus alterum probationis momentum petunt aliqui. Quale profecto illud est, quod in Prato spiritali legere est, Christum D. cum primum salutare prædicationis ministerium cepit obire, Deiparam Virginem, ac Petrum Apostolorum principem propriis manibus baptizasse. Non eo, ad sui defensionem, commento eget statuta hæcenus ac bene probata Theologica veritas. Certe Christum, neminem propriis lustrasse manibus, ex Evangelio liquet, loco jam a me appellato *Joan. 3. Quamquam Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus.* Liquet ex ipsa Apostolorum agendi ratione, ac disciplina frequentius observata. Petrus enim & Paulus vix aliquos propriis manibus baptizabant, sed per subiectos ministros; imo baptizantis ministerium, Apostolico ministerio inferius reputabant; non utique reputari, si illud Christus ipse propriis manibus obisset.

Jam quod Alexander Alesi, & Albertus Magnus, ex Augustini *Tract. 15. in Joannem* momentum petunt in sententia suæ prædicationis, referre, non est operosum. Nimirum de latere Christi Sacramenta fluxisse. Si enim Christus post habitum suæ Resurrectionis triumphum baptismate instituisse, diceretur ex eo, quod ex latere ejus fluxit sanguis & aqua; consequens esset, Sacramentum etiam Eucharistia post ejus mortem institutum fuisse; Augustinus ergo dum ait eo loci de latere Christi omnia Sacramenta fluxisse, tantum significare voluit, omnia Sacramenta vim & efficaciam sortita fuisse ex sanguine Christi, cujus ultima effusio fuit, dum ex ejus latere in Cruce pendulus exivit. Porro ut hanc vim & efficaciam foriantur, non est necesse, ut dum exivit ex latere ejus sanguis & aqua, instituta fuerint Sacramenta, nam sanguis effusus potuit etiam Sacramentis in antecessum institutis, vim & efficaciam tribuere.

Scrupulum tantillum videtur posse ingerere, quod baptismi forma, nondum ante Christi Resurrectionem data esset, nondum scilicet propalatum Trinitatis mysterium. Pro quo quidem scrupulo eximendo prima via a nonnullis Theologis aperitur, qui Apostolos ante Christi resurrectionem, cum expressa Trinitatis invocatione baptizasse dissentent, sed in nomine Christi. Altera via, eademque melior atque tutior, est hujusmodi: Apostolis scilicet in privato quidem, Mysterium Trinitatis fuisse antea a Christo D. etiam nondum in publico, revelatum.

Sed oritur hoc loco questio altera a nobis pariter diluenda, quo distinde tempore, quave speciali occasione, ante Christi D. mortem, ea baptismatis institutio facta sit?

Qua in re, in varias sententias Theologi abeunt. Alii, in quibus princeps est D. Thomas, baptismum institutum dicunt a Christo D. dum ipsemet a Joanne in Jordane tinctus est. Alii in colloquio habito cum Nicodemus *Joan. 3.* in quo

baptismatis necessitatem commendavit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cælorum.*

Potior, meo quidem judicio, est D. Thomæ sententia, quam a Summis Ecclesiæ Patribus mutatus est: D. Ambrosio *lib. 2. in Lucam cap. ult.* D. Augustino *serm. 36. de Tempore*, & D. Gregorio Nazianzeno *Orat. 38. c. 39.*

Neque levis ratio suffragatur: Nam & tunc Trinitatis Mysterium in signo declaratum est; Tuncque regenerandi vim obtinuit aqua ex contactu mundissimæ carnis Christi.

Illud vero quod de more opponitur, in colloquio cum Nicodemus, Christum baptismi necessitatem commendasse, indignum est ut resellatur a nobis. Equis enim sibi fingat, tunc Sacramentum institui, dum illius necessitas commendatur? Exemplum sumi potest ex Eucharistia & Penitentia Sacramentis. Institutio enim Sacramenti non in abito, sed in publico fieri debet.

Nec te moveat, quod alii distant; Christum, dum in Jordane tinctus est, baptismata nec instituisse actu exercito, aliquem baptizandum; nec actu signato, ut loquantur, ritum ejus præscribendo. Instituit siquidem in actu signato, materiam conservando formamque subindicando; non aperta quidem declaratione, sed illius exhibitio Signo; tribus nempe personis ibidem componentibus. Concludendum igitur secundum hanc probabiliorum sententiam, institutum fuisse Baptisma Anno 15. Imperii Tiberii Cæsaris; ætatis Christi anno circiter trigesimo, & ut communiter existimatur die 6. Januarii, qua Epiphania in Ecclesia celebratur. Cui videtur inuere S. Maximus *homil. 1. de Epiphania.* *Ferunt enim hodie, ait ille, Christum D. nostrum, vel Stolla duce a Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse, vel suscepto a Joanne baptismate consecraste fluenta Jordanis, suumque simul purificasse Baptisma.*

PRÆLECTIO XIX.

Quando primum cæperit Baptismus obligare, & quando circumcisio cum cæteris legalibus ritibus obligare desierit.

De baptismatis obligatione proxima Dissertatione dicturus, questiones duo intime conjunctæ ipso statim in limine sese offerunt expendendæ; quando primum Baptismus cæperit obligare, & quando circumcisio, cum cæteris legalibus ritibus obligare desierit? Unius enim ortus, alterius abolitio fuit, uti & obligatio legis Evangelicæ obligationem sustulit Mosaicæ legis.

Mirum est, quam variæ circa primum & consequenter circa secundum, inter Theologos, obortæ sint opinioniones.

Fuere enim vero non pauci, qui sustinere Baptismum obligare cæpisse, ex quo tempore Christus Nicodemus dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cælorum.* *Joan. 3.* Maxime quia statim post ea prolata verba Apostoli baptizasse referuntur *Joan. 4.*

Alii ex adverso putarunt, Baptismum obligare cæpisse statim atque Christus post resurrectionem Apostolis dixit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Alii tandem, quibus maxime standum est, quique modo universim a Theologis acceptantur, fidenter pronunciant, Baptismum non obligasse ante factam sufficientem Evangelii prædicationem.

Probat hoc primo ex natura & conditione legis positivæ, quæ non obligat nisi nota; nec innotescit, nisi sit promulgata. Quomodo igitur ante factam Evangelii prædicationem cæperit Baptis-